

15
DE FUNDAMENTO VIRTUTIS.

P. I.

QUAM

CONS. FAC. PHILOS. IMP. ACAD. ABOËNS.

PUBLICO EXAMINI OFFERUNT

Mag. JOH. FAC. TENGSTRÖM,
Bibliothecarius Vicarius,

ET

FREDRICUS AEFMELÉ,
Ostrobottniensis,

In Auditorio Philof. die IV Martii MDCCCXXVI.
h. a. m. s.

ABOÆ, Ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



In tres scholas præcipuas referri posse videntur philosophi, qui disciplinæ Ethicæ condendæ operam dederunt; etenim aut inprimis secundum naturam, aut secundum mentis atque rationis præcepta, aut secundum illam et hæc simul homini vivendum esse, statuerunt. Per Idealismum, rationi ac menti vitæ regendæ jus atque officium tribuendum esse, accuratius quam antea unquam factum erat, definitum est. Sed quamvis itaque etiam doctrinæ morum hoc systema egregie profuit, ex altera parte haud diffidendum est, idem nequaquam ad præcepta vitæ honestæ enucleanda et absolvenda sufficere, præterquam quod facile abeat in severitatem naturæ repugnantem, unde immanitatem in animo, stuporem in corpore gigni, dudum animadversum est. Nam quo doctrina morum naturæ hominis congrua locum habeat, et quo dissenso de principiis ejusdem tolli possit, agnoscendum est simul, non modo ipsam naturam per se menti atque rationi congruere, seu voluntatem divinam esse illius quoque principium, sed etiam, naturam hominis non esse meram naturam, ideoque summæ rationi adversari. Quod nisi agnoscat, quomodo homo ad virtutem formari fingique possit, lateat necesse est. Nam si homo per se malus est, bonus nequaquam fieri potest eo tantum,

tum, quod sese e voluntate universalī determinare conetur *). Quid? quod doctrina morum, quæ talem tantummodo virtutem sensu vacuam inculcet, sed præceptis careat, quæ ex ipsa natura petenda sunt, facile detorqueri possit ad ipsam pravitatem fovendam et alendam, seu ad substituendam honestati meram inanem meditationem de officiis, cui parum respondeat ipsius meditantis tenor vitæ, seu quæ effectu, h. e. studio virtutis genuino, penitus destituatur.

Virtutem humanam necessario fundamento naturali niti, philosophiæ criticæ auctorem et principem non præterit, qui cum optime meritis est de universa scientia summa, tum doctrinam morum vere restaurasse censendus est, eo quod pravas sæculi opiniones, omni honestati interitum minantes, impugnaret, persuasionemque, quam omnes animo tenent, esse aliquam virtutem ejusque naturam æternam et immutabilem, idoneis argumentis tueretur et firmaret. Etiam si enim ideo tantum rationis præceptis obtemperandum esse statuebar, quia hæc leges det, quibus

*) Temperare nobis non possumus, quin heic e BAADERI *Fermentis Cognitionis* I. p. 38, afferamus verba, aspera quidem, sed veritatem exquisitam et interiorem exprimentia: Die absolute Spontaneitätslehre, inquit, war allerdings geeignet, das Heroische des Geistes, der Hoffahrt und Empörung recht ins Licht, dessen Niederträchtigkeit recht ins Dunkel zu setzen, sohin den entgegengesetzten Geist der Demuth und wahren Erhabenheit des Evangeliums zu antiquiren, und man wirft darum mehreren deutschen Philosophen wohl nicht mit Unrecht vor, daß sie uns mit dieser neuen Freylehre aus dem Regen in die Traufe brachten, indem sie uns von der Niederträchtigkeit und Stupidität des französischen Materialismus nicht anders befreiten, als durch einen Spiritualism, der uns der satanischen Hoffahrt preis giebt.

quibus ut omnia, quæ sint, subjiciantur, velle possumus, hominem tamen, quo obedientiam legi præstare possit, auxilio naturæ opus habere, docuit eo ipso, quod acute demonstraret, naturæ sublimitate contemplanda animum a corporis concreione purgari, imperiumque rationis promoveri, pariter ac rerum terrenarum pulchritudo hominem itidem eo flectit, ut ad vitam menti atque rationi congruentem convertatur, unde prodeat omnium animi et corporis virium suavissima consensio. Quæ cum nullo modo existere posset, nisi res sensibus perceptæ ad earundem, quæ menti atque rationi obversantur, idearum exemplaria factæ essent et ex iis expressæ, vel hinc quoque patet voluntatis et naturæ in honestatis et virtutis studio perpetua communio.

Attamen hanc vim naturæ ad virtutem fundandam cum plerique recentiorum, qui inde a renatis litteris de morum præceptis disputarent, non satis animadvertisse videntur, tum eadem imprimis Sophistas istos penitus latet, qui hodie de juribus et officiis hominis et civis dictata decantant audaciora quam veriora. Specimen itaque academicum edituri temerarium fortasse seu nobis tractatu durius neque tamen per se inane seu inutile consilium cepimus de fundamento virtutis humanæ, breviter, pro scriptionis hujusce ratione, disserere. Quod quale sit, ut constaret, seu ut via atque ratione erueretur, præcipue, vel primo saltem in voluntatis ipsius habitum et indolem inquirendum esse videbatur.

Voluntas hominis tanquam per actum divinum excitata, merus amor fuerit necesse est. Sed eadem voluntas simul ab homine producta fuit, seu eadem producenda homo se ipsum produxit; quo nomine non esse potuit merus amor, seu mera obedientia. Simul itaque fuerit

fuerit necesse est voluntas non determinata seu voluntas, ab amore, ab actu divino discrepans. Hæc voluntas, tanquam ad essentiam ipsius amoris seu actus determinati non pertinens, fortuita seu non determinata erat. At simul determinata erat eo saltem, quod sese continuo opponeret actui determinato. Voluntas itaque fortuita determinationem quandam habuit fortuitam, non determinatam, seu determinationem, quæ ad essentiam hujusce voluntatis seu nisus non pertineret. Hæc determinatio est Tempus. Actus non determinatus erat quasi determinationis determinatio. Eo autem fixus erat, continebat quasi stabile quoddam seu non mutabile, quod quasi substratum seu subjectum constituebat. Sed hoc substratum nondum determinatum erat; nam fortuita determinatio nulla erat determinatio, seu determinatio ad essentiam actus non pertinens. Essentia actus non determinati adhucdum non cernebatur nisi eo, quod non esset nisi tanquam actui determinato oppositus. Adfuit itaque simul nisus determinationem illam fortuitam tollendi, non tanquam determinationem (nam actus quærit determinationem, ut per se actui determinato oppositus sit), sed tanquam fortuitam, seu nisus determinandi hanc ipsam determinationem nondum determinatam. Hæc determinatio per illum nisum jam necessarium determinabatur necessario. Determinatio nova, quæ inde accedit, non est determinatio actus, sed determinatio determinationis illius fortuitæ, ad actum qua talem non pertinens. Hæc determinatio, non respectu actus, sed respectu determinationis illius fortuitæ necessaria, est Spatium. Determinatio per Tempus et Spatium est determinatio determinata, fortuita quidem quod ad essentiam actus attinet, sed necessaria, quo idem tanquam actus sese confirmare possit.

Actus.

Actus nondum est nisi tanquam actui determinato (naturæ) oppositus, est actus se ipsum tantummodo appetens, est appetitio, cui qua tali continuo satisficit, unde oritur sensio jucunda, pariter ac sensio injucunda inde, quod actus continuo tollatur. Idem actus, tanquam extrinsecus determinatus, est sensio mera ejus, quod indifferens est, seu sensio objectiva. Seu idem actus est sensio fundamentalis, duplicem sensationem in se continens, meram sensationem et sensationem sensationis, sensationem objectivam et sensationem subjectivam, seu inter has quasi trepidat. Sensio absolute jucunda foret merus actus non determinatus absque natura. Sed talis actus nihil foret, seu ei sensio adscribi non posset. Sensationem itaque jucundam inde oriri necesse est, quod actus continuo restitatur. Restitui non potest, nisi antea represus fuerit: sensio jucunda existere non potest nisi per sensationem injucundam.

Quia homo necessario, tanquam ab actu divino discrepans, voluntatem habet fortuitam, qualem, etsi plus minus latentem, non possumus quin vel ipsi meræ naturæ externæ adscribamus, necessario una cum appetitione boni habet appetitionem jucundi, seu meram appetitionem. Hæc mala non est, neque, cum ei continuo satisficit, mala evadere potest; attamen eo, quod amori inferat seu in eo excitet appetitionem sui, sive appetitionis meræ, h. e. appetitionem subjectivam, id excitat et alit, unde malum nascitur. Amor hominis non erat amor sui, sed amor amoris divini. Illi inferi necesse erat appetitionem appetitionis tanquam substrati, appetitionem, quæ necessario per voluntatem amoris ex appetitione, quæ simul amori inerat, producebatur, et quæ itaque ipsa quoque voluntatis quodammodo particeps erat. Hæc voluntas, quæ in appetitione appetitionis seu appetitione sub-

jectiva.

jectiva inerat, erat quidem determinata, quatenus a voluntate amoris producta et ei subjecta erat; at tamen simul hactenus non determinata erat seu non habebat nisi determinationem fortuitam, quatenus id, quod appetebatur, seu appetitio mera jucundi ex actu penderet non determinato. Voluntas appetitionis subjectivæ determinari non poterat nisi a voluntate amoris. At tamen, cum illa voluntas tanquam voluntas subjectiva seu peculiaris existeret et adfit, aliunde determinata fuerit necesse est, quam secundum voluntatem amoris. Neque tamen sic determinari potuit nisi per voluntatem amoris. nam amor erat actus. Voluntas itaque appetitionis subjectivæ per voluntatem amoris sic determinata est, ut ab hac discreparet seu ei quodammodo adversaretur: quod aliter fieri non potuit quam eo, quod voluntas amoris non determinaret. Sed amor erat actus, seu necessario determinabat. Voluntas itaque subjectiva aliter eo, quod non determinaretur, determinari potuit, quam ita, ut voluntas amoris ab appetitione mera (jucundi) alliceretur ad hanc quoque determinandam, ut penitus determinata evaderet quoque voluntas appetitionis subjectivæ. Per hanc itaque voluntatem tanquam amanti subjectam instigatio facta est. Egressa est ex appetitione mera. Sed hæc a voluntate amoris determinari non potuit. Hujus itaque conatus irritus evasit, seu eodem momento voluntas appetitionis subjectivæ determinationis experta relicta est, seu determinata non est nisi per appetitionem suam: hæc determinatione prorsus caruit, evasit cupido, appetitio patefacta, manifestata, seu cui non satisfactum erat, appetitio quasi sui conscia, inopia, fames. Contentus amoris et appetitionis subjectivæ disturbatus est per voluntatem ipsius amoris. Turbam excitavit scintilla discordiæ, quæ subjecto inerat, quam extinguere conabatur amor, quæ vero extinguere non poterat, sed tantummodo continuo suffocari

focari. Actus, per quem voluntas peculiaris seu subjectiva nata seu sui conscia facta est, erat actus non ex amore, sed e voluntate amoris. Hic actus seu potius agendi conatus necessario irritus evasit, et quia appetitio jucundi, seu actus non determinatus, qui quasi substratum erat, determinari non poterat, et quia voluntas absque appetitione boni nihil efficere valebat. Hic actus erat conatus hominis discrepantiam tollendi, quæ inter se et actum divinum, unde ortus erat, intercedebat: erat conatus hominis sese pro Deo constituendi, conatus agendi absque amore (appetitione boni). Hic conatus effecit, ut appetitio subjectiva sese amori opponeret, et tanquam actum singularem sese constitueret, quod aliter fieri non potuit quam eo, quod sese tanquam voluntatem seu actum a se ipsa tanquam producta abstraheret. Actus a producto abstractus est notio: est actus inter actum et productum trepidans. Productum est cupido, inde orta, quod sensio injucunda ex actu abrupto seu agendi conatu nuper memorato existeret.

Cupido itaque est desiderium boni tanquam jucundi, est desiderium jucundi ab appetitione mera jucundi discrepans, est desiderium actus determinati, actus qui cupidini adversatur, qui aliter restitui non potest quam eo quod cupidine validior sit appetitio subjectiva adhuc residua sana, seu hæc non illi sed appetitioni boni subjecta maneat. Cupido non est, seu nihil est, nisi per actum seu amorem. Per hunc itaque homo est; at simul, tanquam homo, est eo, quod voluntatem habeat subjectivam seu a cupidine quadamtenus saltem determinatam, quæ bonum velle non potest nisi ea conditione, ut continuo restituatur tantum. Amor subjecti necessario cupidinem continet: non est merus amor, amor boni per se, sed simul amor boni quod attingatur, cujus concilii finis, amor
con-

conscientiæ, amor ejus, quod per se bonum non est: est quasi amplexus nostrum ipsorum tanquam agentium. Appetitio subjectiva amorem quodammodo tollere nititur, sed revera alit et fovet, eo quod tanquam ignis continetur. Cupido ubi dominatur, amorem seu actum tollit eo quod eundem restituere nitatur: est quasi ignis, qui eruperit, qui alimentum suum appetens et amplectens absumat. Actus, qui restituitur, quoniam appetatur, seu quoniam voluntas amoris imperet, est verus actus subjectivus, amoris restitutio: actus, qui restituitur, quoniam cupiatur, non est verus actus, est quomocunque agendi conatus, unde nihil prodit, nisi cupidinis meræ restitutio. Quoniam cupitur actus, sed hic, ubi dominatur cupido, existere non potest, patet, cupidinem sibi ipsi adversari, seu in æternum non futuram esse nisi conatum, qui, quia tamen semper adest tanquam determinatio actus secundaria, merum amorem, actum e mera voluntate divina determinatum nunquam restituere potest homo tanquam sui conscius, Cupido sibi ipsi repugnat, quia nititur determinare restitutionem actus tanquam sensationem jucundam excitaturi. Sibi conciliari non potest nisi eo, quod continuo tanquam determinatura reprimatur.

Voluntas subjectiva eo voluntas est, quod e voluntate amoris egressa sit, et ex eadem continuo quasi egrediatur: subjectiva est per cupidinem, quæ, licet esse non possit nisi tanquam voluntas, tamen per se absque voluntate esse seu hanc sibi subicere nititur. Ubi per actum, quo homo se ipsum produxit, hic nisus ita fundatus fuerit, ut appetitione mera validior existeret, discordiam internam oriri necesse erat. Nimirum ubi cupido agendi conatum determinabat, amor restitui non poterat. Cupido manere seu ali non poterat nisi per agendi conatum; h. e. per conatum appetitionem subjectivam determinan-

minandi e voluntate amoris. Agi poterat et agi necesse erat, quia aderat voluntas subjectiva, quæ tamen per se non determinata erat, quare necessario e voluntate amoris determinare conata est. Agendi conatus erat conatus appetitionem subjectivam subjiciendi appetitioni boni. Sed illa huic subjici non poterat, quia erat appetitio cupidinis appetitioni boni adversantis seu hac validioris. Unde nascitur discordia inter amorem et appetitionem subjectivam, seu ille sese huic opponit. Agendi conatus abit in conatum huic subjiciendi appetitionem boni. Appetitio boni evadit appetitio non agendi conatum appetens, appetitioni subjectivæ opposita, tollens agendi conatum seu conatum hominis sese tanquam merum animal constituendi. Conatus subjiciendi appetitionem boni appetitioni subjectivæ, illam extinguendi, seu actum penitus tollendi conatus, a mero agendi conatu sponte natus, est malum. Dum homo bene agere non valet, necessario male agit. Male agere non vult neque velle potest, sed conatus agendi e cupidine malum necessario gignit. Quod etsi agnoverit homo, tamen eodem modo agere pergit. Ad est quidem appetitio boni jam tanquam non agendi conatum appetens, sed simul existat necesse est sensio injucunda, quam excitat agendi conatus abruptus, quam excipit cupido voluptatis, quæ inde percipi possit, quod agendi conatus restituatur. Hæc cupido restituendi conatus actui vero adversantis, non qua talis seu tanquam mali, sed tanquam jucundi, non est cupido mera, cupido cæca mali: est cupido mala, cupido per-actum malum excitata, cupido cupidinis tanquam voluptatem producentis, concupiscentia, seu cupido cupidini meræ insita. Hæc deinceps continuo excitat agendi conatus, qui aliter existere non possunt quam eo, quod voluntas universalis seu voluntas amoris e se determinet appetitionem boni, quæ per singulum quemque priorem conatum determinata non

agendi conatum appetat. Qua tanquam appetitione actus determinata, seu agendi conatu constituto, voluptas percipitur, quam excipit dolor, ubi agendi conatus denuo abierit in conatum actus penitus tollendi, seu ubi appetitio boni sive actus denuo evaserit appetitio non agendi conatum appetens. Nimirum e singulis agendi conatibus nascuntur conatus appetitionem boni appetitioni subjectivæ subjiciendi, seu actum, amorem, bonum per se penitus tollendi, unde egreditur appetitio boni tanquam non agendi conatum appetens, quæ mox tollitur seu aliter determinatur. Amorem tanquam actum ideo restituere conans homo, ut cupidini satisfaciatur, mali conscius factus est. Malum novit eo, quod idem attingeret. Cernitur eo, quod voluntas subjectiva pareat concupiscentiæ, seu quod voluntatem universalem adhibeat ad promovendam cupidinem, illi obsequatur quatenus hujus desiderii congruat.

Cupido mera, per appetitionem subjectivam sanam seu illi non obedientem repressa, est nisus ad discordiam continuo sublatus. Concupiscentia est nisus ad discordiam continuo restitutus: est voluntas peculiaris voluntati universali necessario non obediens, est voluntas non libera. Voluntas subjectiva jam mala est, utpote quæ, etiamsi esse seu libera esse non possit nisi tanquam voluntas bona, seu voluntas voluntati universali subjecta, tamen per se esse seu amorem, actum, sibi subjicere conetur. Concupiscentia est cupido meri conatus, quo hæc magis magisque confirmatur. Cupido mera hunc conatum producere non posset: conari potest, quia simul est voluntas, notio actus concupiscentiæ congrui. Sed ne hæc quidem voluntas corrupta alium conatum producere posset quam eum, quo appetitio boni, facultas agendi, quasi uno haustu absorberetur, subjectum tolleretur, simulque concupiscentia, nihil superesset nisi brutum animal. Si homo nihil

nihil esset præter voluntatem subjectivam cum sua appetitione et concupiscentia, neque hæ essent, seu homo non amplius esset. Homo existit per sui ipsius actum, sed tollere se ipsum non potest, quia non est merum productum sui actus. Tanquam concupiscentiæ subjectus ne conari quidem potest non agere, quod si conari posset, voluntas sua concupiscentiæ non pareret. Quia hæc dominatur, agendi conatus continuo restituitur. Agere conatur, quo actum quasi attingat seu sensatione percipiat. Quia sic agit, attingere non potest: non potest, quia revera non agit. Continuo agere conatur, quia concupiscentiæ nunquam satisfieri potest. Agendi conatus inde pendet, quod voluntas amoris extirpari non possit. Hæc extirpari non potest, quia non est mera voluntas, sed simul appetitio, amor, etsi continuo repressus. Agendi conatus necessario evadit conatus amorem subijciendi appetitioni subjectivæ, seu conatus hanc ita determinandi, ut se ipsam intueatur seu in cupidinem abeat, quod aliter fieri non potest quam eo, quod non determinetur. Hinc fit, ut appetitio subjectiva, etsi concupiscentiæ subjecta, extirpari non possit. Tollere se ipsum non potest subjectum, quia voluntas concupiscentiæ sibi ipsi adversatur. Voluntas subjectiva sana est voluntas id agens, ut cupido continuo reprimatur. Voluntas concupiscentiæ est voluntas id agens, ut cupido continuo restituatur, est voluntas nihil efficiens, actum agens, notio actus actui oppositi, merus conatus agendi, producendi bonum, quod attingatur, sentiatur, conatus denuo quasi producendi conscientiam. Bonum, quod producit, antea aderat. At conatus necessarius est, quamdiu natura corrupta dominatur.

Vel hinc quoque patet, hominem, dum revera agit, agere non valere nisi ope appetitionis. Fundamentum actus est natura voluntati universali congruens: virtus est

est obedientia, neque vere obedit, nisi qui amat: virtus est vis: sine vi, sine natura agere non possumus. Si homo e notione, cui in se nihil responderet, agere posset ageretque, ipsam vitam dissolvi necesse esset. Si quid fini hominis attingendo repugnans natura sua appeteret, discreparet eadem a natura universi omniumque rerum, quæ in ea continentur: esset discordia, interitum sui ipsius producens. Sed quidquid est, id hactenus tantum esse potest, quatenus cum natura communi omnium, quæ sunt, cohæret eique insitum est. Quidquid contra a principio concordæ, a vita universi, a lege ipsius animantis naturam constituyente alienum cogitari possit, id revera nusquam est, effectui dari nunquam potest. Jucunda sint appetanturque, necesse est, omnia, quæ ipsi fabricæ corporis humani sustentandæ inserviant, pariter ac contra, quæ huic nocent, injucunda sunt. Ipsi vitæ inest visus sui ipsius tuendæ et alendæ, unde etiam fit, ut appetantur tales affectiones animi, quibus vita ipsa quasi evehatur, pariter ac eas affectiones, quibus hæc reprimitur, abhorreamus, necesse est. Quia aliquid per se bonum esse cognoscimus, hoc appetamus necesse est; quod nisi appeteremus, omnia præcepta morum torperent, frustra que disereretur de finibus bonorum. Ne cognoscere quidem possumus, nisi antea jam quodammodo appetiverimus. Quoniam vero, ex altera parte, neque appetere possumus, nisi antea quodammodo cognoverimus, cognitio et appetitio, seu desiderium cognitionis comparandæ et ipsa actio una oriuntur et succrescunt. Sed prior tamen quodammodo est appetitio.

Quo agere possit homo, quid naturæ suæ conveniat, cognoscat, necesse est: animus enim non est inane nescio quid, sed in quodam genere corporis, perfectioque hominis, ut omnis animantis, cernitur in eo, quod in suo genere

genere optimum est. Appetitioni congruenter informetur, necesse est, animo imago ejus, quod efficere velimus. Quæ imago ita demum magis magisque excelsa erit, si ideæ naturæ nostræ convenienter agamus; neque fieri potest, quin qui ad hanc non attenderit, aut ridicule deformis, aut levis, affectatus, imbecillis evadat. Homo vere agens sese determinat secundum id, quo finem naturæ suæ propositum attingi posse, quo veritatem hujus cerni, ex ideis, e lege menti obversantibus agnoscit. Hoc non bonum est, quia appetatur, neque appetitur, quia bonum sit, sed tanquam aptum et naturæ accommodatum simul appetitur et bonum esse agnoscitur, h. e. amatur. Nisi virtutem amaremus, nisi virtus esset amor, seu nisi appetitiones nobis inessent, officiorum notiones turbari necesse esset; etenim illa quidem per se absoluta sunt, sed cujusque hominis notio suorum officiorum non esse potest lex mera universalis: est simul et suæ peculiaris et universæ humanæ naturæ notio, quæ nisi cuique obversaretur, ne posset quidem aliud alii officium præferri, quod necessarium omnino est, ut agatur. Ab appetitione qui aberraverit, is nunquam, quid in vita sequatur, habiturus est. Illa tanquam conditio virtutis huic adversari non potest. Quam ipsam ob causam neque idem ac voluntas esse potest; nam hæc eo ipso est, quia discrimen intercedit inter voluntatem et appetitionem. Natura itaque quadamtenus est idem ac voluntas, quadamtenus non idem. Idem non est tanquam instinctus seu sapientia sui non conscia, quæ, ubi homo corruptus est, eo sese prodat, quod non agendi conatum appetat.

Male agit homo cupidini subjectus eo quod agere conetur; nam tanquam concupiscentiæ obediens primum debet non agere conari. Agere non potest, necdum agere conari absque appetitione subjectiva. Hæc seu ipsa
agen-

agendi facultas causa est, quod non agat, seu agere conetur tantum homo corruptus. Quo agendi conatus pravus tolli possit, requiritur, aut ut appetitio subjectiva, conandi facultas simulque vere agendi facultas, magis magisque infirmata fuerit, qua penitus infirmata concupiscentiæ nullo modo amplius satisfieri potest, aut ut concupiscentia ita succreverit, ut hanc ob causam ei non satisfiat, non quia desit vis subjectiva, sed quia concupiscentia penitus impotens evaserit.

Neque tamen explicari potest, quomodo, ubi penitus languet eadem appetitio, vel ubi quasi furit concupiscentia, non agendi conatus emergere possit. Appetitio subjectiva a concupiscentia reprimitur, si plus valeat quam voluntas; evehitur, si hæc inferior est. Una cum appetitione concupiscentia languet et viget. Ubi concupiscentia languet, actui restituendo obstat infirmitas appetitionis. Ubi appetitio viget, actui restituendo obstat vigor concupiscentiæ. Quomodo itaque homo pravus sibi soli relictus, Deo et natura destitutus, ipse sese corrigere valeat, explicari non potest, seu ille revera non valet. Quidquid fuerit, patet saltem, actum restitui aliter non posse, quam eo, quod tollatur agendi conatus, quo efficiatur, ut appetitio boni primum tanquam non agendi conatum appetens conservetur seu non tollatur.